

F.N. 66  
96

Z  
e  
3845

EXEQVIAS  
VIRI  
PRAENOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
AMPLISSIMI  
DOMINI  
M. IO. CHRISTOPHORI  
SCHVBARTI  
ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI ACADEMICI PROFESSORIS ELOQVENTIAE ET GRAECARVM LITERARVM CELEBERRIMI, CONVICTORII SVBINSPECTORIS GRAVISSIMI

DIRECTOR  
ADIVNCTVS ET PROFESSORES RELIQVI  
CIVIBVS SVIS  
INDICVNT



COBURGI,  
IMPRIMEB. GEORG. OTTO, Typogr. Aul.



**P**raestat igitur Vobis, Ciues humanissimi, ipso suo funere, pietatis, quam exemplo praeceptisque viuis docuit, exercendae causam Vir excellentissimus, clarissimus, *M. IOANNES CHRISTOPHORVS SCHVBARTVS, Eloquentiae, et Graecae linguae, in Abenaeo nostro Professor Ordinarius meritisissimus,* tantum sui desiderium collegis, auditoribus, bonis relinquens omnibus, quantum eximia virtutum, quae in eo eluxerunt, copula et excitare solet, et diutissime conferuare. Fortunam quippe hominum praestantium fato tam benigno a diuina providentia circumscriptam experimur, vt nec tantam illustrium ingeniorum vna aetas afferat copiam, quae singulorum merita, quod nimia praestaret turba, extinguat; nec tam pauci eminentioris virtutis aestimatores vnquam existant, quin ista instructus cultorum, amicorum, admiratorum, ac muneratorum reperiat populum, in quo aliquam, dignitatis tamen plenissimam, referat Principis speciem. Vt enim inter suos patrem familias non solum principem tenere locum recte dixeris, sed plane etiam imperare, ita meritisissimus quisque inter eos, a quibus, tanquam virtutis exemplar, colitur, Principis, sine inuidia, speciem haud dobie sustinet. Sed doctori praecipue ingens facultas datur, hominum ipsi feruientium peculiarem veluti instaurandi ciuitatem, dum partim vno ingenii specimine quamplurimos sibi saepius conciliat amicos, partim scriptis, late sparsis, ad homines longissime distitos pertingit, partim denique adiunctos iam suo coetui facillime, non vi, et imperio, sed recte agendo, retinet in officio obsequioque. Nec facile vilo laboris sui fructu magis delectantur, qui non quaesitus causa, sed natura duce, in literarum studia omnes animi intendunt neruos, quam isto, si suam operam longe lateque probari, in pretio haberi, et, qui digna conferant praemia, aequis aestimatoribus non destitui videant. Cuius felicitatis suauitatem vsu cognouit B. collega noster, quem, quoad vixit, patroni non pauci, plures discipuli, ad summas dignitates ex parte euecti, nec pauciores aequi virtutis iudices amicitia, studio, desiderio sunt persecuti. Ad quod tantum vitae summa cum laude peractae decus a quibus initiis, quibusue gradibus, condescenderit, dignum est, vt memoria a nobis recolatur, memoriaeque sempiternae tradatur. Natalium quidem fortuna vsus est perquam commoda, Patre genitus rei literariae, Philosophicae et Sacrae, longe peritissimo, *IOANNE SCHVBARTO,* Collegii Casimiriani tunc quidem Professore Ordinario, postea vero Directore meritisissimo. Cuius Viri memoriam scriptis partim, partim rebus ad salutem Collegii, cui praefuit, gestis, ab obliuione satis vindicatam, ne quidem obscurari passus est filius *IOANNES CHRISTOPHORVS,* e coniuge *ANNA MARIA, IOANNIS EICHLERI, Domaniorum Ducalium Callenbergiae et Oslauiae Praefecti, filia* d. VI. Id. Nou. anno MDCLXXXII. susceptus; parente suo in eo multo felicior, quod ipsum ad vndecimum vsque aetatis annum genitoris cura sustentaret, iste vero, ante lucis usum, patre suo, *THOMA,* Ciue et mercatore Altenburgensi honestissimo, orbatas, calamitatem suam tulisset magis, quam sensisset. Nostrum vero, quod decet, sacro lauacro mature tingi parentes curarunt, adhibitis susceptoribus, spectatissimisque rei rite gestae testibus, *CHRISTOPHORO HENRICO LOEBERO,* Praefule Orlamundano, *IOANNE FISCHERO,* Archidiacono Coburgensi, *LVCIA ELEONORA, D. GVILIELMI VERPOORTENNII, Superintendentis Generalis in ducatu Coburgensi* uxore laudatissima. Transeamus nunc aetatem sanctissimam quidem, si Seruatorem audias, et ad capiendum verae pietatis sensum aptissimam, sed familiae potius, quam reipublicae, alicualem fructum afferentem. Ab eo quippe tempore ciues demum reputamur, ex quo vel nostri curam gerit reipublica, vel rerum in reipublica gerendarum qualemconque partem ipsi sustinemus. Primum igitur publico reipublicae bene constitutae beneficio noster vsus est, institutionis causa, Scholae Senatoriae admotus, et paulo ampliori, cum Gymnasii nostri ciuibus adscriberetur. Quo tempore quam amplam doctrinas omnis generis addiscendi facultatem habuerit, tum Doctorem, qui-

bus

bus vsus est, nomina docent, tum publica, quae edidit, exculci ingenii specimina: Anno enim huius seculi tertio, Praeside *S. R. CYPRIANO*, quo nec meliorem, nec illustriorem, ne quidem optare Praeceptorem, addo etiam laudatorem, potuit, (quippe a quo *iuuenem ad maiora natum; obraram pietatem, doctrinam, et commodos mores, dilectissimum, nuncupatum* legimus,) *de mortibus Socinianorum*, et mox, Praeside *THEODORO VERPOORTENNIO, de regno Salamino in Cypro*, arenae disputatoriae fortunam, felici conatu, expertus est. Quo sui experimento confirmatus Academiam primo Salanam, deinde Erfordienfem, adiit, tantam ad comparandas doctrinae opes afferens cupiditatem, quantum praestantissimi vtriusque Scholae Doctores et excitare possent, et explere. Sibi certe nostrum non defuisse argumento sit, quod *STEMPELIO de columnis antediluvianis*, Ienae, disputanti socium se certaminis praebuit; Erfordiae autem, gradu Magisterii iam auctus, *de potentia Diaboli in sensu disputando*, docendi Philosophica facultatem acquisiuit. Academiae luce quo minus frueretur longius, Generosissimarum familiarum concepta de Nostris spes oblitici, qui obsequium praebens iis in locis per plures annos vixit, ubi illustrissimum iuuenes, quorum mores, et doctrinam, moderabatur, ornare coepit; mox, anno nempe sequenti, Gymnasio nostro *Professionis Poeseos extraordinariae* vinculo coniungendus. Ita vero expro mendae, qua abundabat, doctrinae copiam naclum amplio rem, nemini, cui non probaretur, innotuit; nemini non, qui institutione eius vteretur, summo pere profuit. Quam rem vt perfeceret, quantum industriae, laboris, patientiaeque impenderit, ac sustinuerit, nostrum non est, vel tanquam ignotum describere, vel, quasi exiguum, dicendo augere. Officii certe gnauiter administrati fructum tulit, cum A. MDCCXXXIII, suscepta *eloquentiam et Graecas docendi literas* prouincia, Professorum Ordinariorum albo adscriberetur. Vidisses tum eximium muneris viro, et viri munere, ornati exemplum. Quantam enim Graecae literaturae facultatem ad docendum attulerit, ex eo cognoscas, quod A. MDCCXVII. carmine Graeco seculari repurgatae religionis memoriam celebrauit, eoque alteri, pariter Graeco, carmini inter Iubilaei Augustanae Confessionis solennia cl. lcccxxx. recitato, prolulit. Coniunctam autem vtriusque literaturae excellentem notitiam scripta varii generis probant, quorum e numero, quae excitare queamus, in promptu nobis sunt: *Apospasmation Xenophontum de Cyri regis somnio, mortis praesago, regali ad suos oratione, et placida morte*, Coburgi, A. cl. lcccxxvi. in vsu scholae Coburgensis senatoriae, forma sua editum; iam vero, nisi mors auctoris rem distulisset, proxime typis altera vice excudendum: *Dissertationes*, porro, orationibus publicis indicandis praemissae: *de veterum gentium laudanda in colendis diis, de cereis Saturnalibus, et igne lustrante: de lustratione veterum gentium per sanguinem, et per pharmanos; de lustratione veterum per aquam: de veterum gentium lustratione per aetrem, et oscula*, VI. descriptionibus absoluta: *de Cyro Perfarum rege, Iudaicae gentis liberatore, ducentis, antequam nasceretur, annis designato: de saltationis ritu circa Deorum aras, et de tibi arum modis in paganorum sacris olim vsu-tatis*, Programmata VI. quorum postremo, paucis ante beatam mortem diebus, publice proposito, veluti postrema ad Gymnasii nostri ciues adloquatione, auditoribus suis valedixisse videri posset. Eximium igitur publice, priuatimque, doctorem haud dubie sese praestitit; qua cum laude aliam, longe quidem distitam, non leuem tamen, et, qua vt plurimi floreat, reipublicae multum in-terest, coniungimus. Boni nempe patrisfamilias exemplum nullo non tempore dedit, ex quo, Anno nimirum cl. lcccix. *ELISABETHAM SOPHIAM, IOANNIS BALTHASARIS SCHMOLLERI, Oeconomi apud nostrum Gymnasium fidelissimi*, filiam, virginem tum laudatissimam, thori adiciuit sociam. Coniugal is enim amoris pie conciliati, prudentiaeque vtriusque coniugis

ad

Ze 3845 IX

X 367 9757

ad fera vsque tempora facile propagandi, pignora nata sunt duae filiae; altera IOANNA MARIA SOPHIA, hoc ipso anno, *Viro Consultissimo, Domino D. THEODORO BERGERO, Iurium et Historiarum Professore huius Gymnasii Excellentissimo, felicissimo connubio iuncta*; altera ERNESTINA SOPHIA IVLLIANA, omnibus, quae virginem decent, virtutibus ornatissima. Ambae nunc, vna cum afflictissima matre, filiae, dum in squalore versantur, et ereptum sibi hinc parentem, hinc maritum, acerbissimis prosequuntur lacrimis, testimonium BEATO certissimum praebent, nihil officii cum omnifuisse, quod pius, prudens, suorum amans paterfamilias, aut praestet suis, aut praestare cupiat. Hunc igitur talem virum, quem reipublicae proceres, quem collegae, imprimis saluum vellet, et cuperent, vis morbi, nulla arte reprimenda, iusto, Athenaei nostri commoda si species, citius, rebus humanis exemit. Quem casum, quod plerorumque expectationem, atque metum, antecessit, a quibus occultis initiis, quomodo subito eruperit, honoratissimus Collega noster IOANNES SEBASTIANVS ALBRECHT, *Medicinae Doctor et Professor ordinarius celeberrimus, cuius salutari sapientia tum innumeris alios, tum vice plus simpliciter beatum Collegam leuatum meminimus, aptissima narratione descripsit, e qua, totidem hic expressa verbis, cladis Gymnasio nostro allatae causas optime cognoscetis.* „Corpus, *inquit, plethoricum, habitus ob insignem fibrarum mollietiem laxioris, a pluribus retro annis oculorum, et aliarum capitis partium, molestiis pressum, ex thermarum Carolinarum, extra et per totam Germaniam celeberrimarum, vsu legitimum leuamen et robur, sub benedictione diuina, saepius reportauit. Postquam vero, per belli, proher dolor! in Bohemia notissimas calamitates, hoc tam salutare remedii genus vltierius non potuit in vsum vocari, sede mutata, per aetatis rationes, pectus inuasit morbus respirandi difficultate, quae quidem mitigata est semper venaesfectionibus reuulsoribus, temporibus aequinoctialibus rite institutis, simulque in vsum vocatis medicamentis humorum viscedinem resoluentibus, et solidiorum partium tonum roborantibus. Sed laborum, pro muneris officio, per vltimum semestre exequentium multitudo impedimento fuit, quo minus venaesfectio- consuetudo alias tempore potuerit repeti, differenda ad aliud tempus magis tranquillum. Natura vero autocraticis motibus integritatem machinae conseruare laborauit per sudores matutinos; sed saepius per officii rationes turbata, et impedita, tandem a salutari hac excretionem, nulla arte, nullo medicamento reuocanda, penitus quieuit. Ortum hinc est breui tempore graue asthma cum oedematoso tumore, alui obstructione contumaci, urinae difficultate et appetitus prostratione, quae omnia citam, sedulam, et prouidam curam postulabant. Cui etiam summum Numen benedicere videbatur ex ardentis omnium voto, symptomatibus aliis plane depulsis, aliis multum mitigatis. Sed d. VII. Dec. subito mutata coeli serena facie, subito etiam circa vesperam maiori cum impetu asthma denuo pectus oppressit, nulla dispellendum arte, sublata simul tussi et expectoratione, nullis reuocandis remediis, per proximam noctem anxietates potius auctae sunt, donec d. VIII. huius mensis, hora ipsa meridiana, a defatigato anhelis suspiriis corpore anima placide emigravit, et pristinam miseriarum sedem cum beato aeterno laetitiae domicilio commutauit.* „ Et sic quidem Noster laudandae rerum gestarum seriei coronidem imposuit. Nos igitur, ut quassata tam graui casu familia, e defuncti celebritate, iustum capiat solatium, ipsi quoque luctus huius participes, precamur; Vos vero, Ciues, sedulo hortamur, vt funus, hodie, tempore vespertino in coemeterium producendum magna frequentia prosecuti, virtutes Beati, doctissima S. V. ERDMANNI RVDOLPHI FISCHERI, Archidiaconi ad S. Mauritii Aedem, multis maximisque meritis conspicui, oratione funebri celebrandas, altissime grato in praeceptorem vestrum pectori infigatis, numerumque doctorum vestrorum mox implendum, piis nobiscum precibus, a summo Numine flagiretis. P. P. Id. Decembr.

clccccxxxiu.

† † †

1018

no



F.V. 66  
36

Z e  
3845

EXEQVIAS  
 VIRI  
 PRAENOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
 AMPLISSIMI  
 DOMINI  
 M. IO. CHRISTOPHORI  
 SCHVBARTI

ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI ACADEMICI PROFESSORIS ELOQVENTIAE ET GRAECARVM LITERARVM CELEBERRIMI CONVICTORII SVBINSPECTORIS G

DIRECT  
 ADIVNCTVS ET PROFES  
 CIVIBVS SV  
 INDICVNT



COBVRGI,  
 IMPRIMER. GEORG. OTT

